History of Science
R
133
A33D6



History of Science
R
133
A33D6



2494 (80)

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

MEDICINAM PSEUDO-MIRACULOSAM APERIENS,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO SENIORE, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ALUMNORUM REGIORUM EPHORO SENIORE,

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLIII. D. MAII.

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR

GEORGIUS HECK,

LANDAVIO-ALSATUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

744169

A.42266 2

CORNELL
UNIVERSITY
LIBRARY

VIRO

PERILLUSTRI, GENEROSISSIMO,

STRENUISSIMO DOMINO

DOMINO

GEORGIO FRIDERICO DE MANSTEIN,

SERENISSIMI REGIMINIS ANHALTINI

SACR. REG. MAJEST. BORUSSICAE

TRIBUNO MILITARI,

MECAENATI SUO PERQUAM GRATIOSO.

VIR PERILLUSTRIS, GENEROSISSIME!

SI ad aram quisque multis sibi sacram titulis, tanto alacriori ascendit promptitudine, eo vivaciori suas ex eadem suspendit votivas semper primitias gratitudine, quanto largioribus inde beneficiis cumulari, rarioribus favorum splendoribus, clarioribus Beneficentiæ radiis illustrari, charioribusque Patrocinii Favoniis beari intime foveri sese convincitur: si ad Numen aliquod curvo quisque supplex accedit poplite manifestum grati animi erecturus monumentum quando idem in vota propitium lætatur, Dextra auxiliatrice ubique adstitisse sibi gratulatur, quidni & ego VIR GENEROSE ad TE aram mihi sacratissimam, MECAENATEM Numinis instar gratiosum festinus agar, pagellam hanc tenuem meas in arte medica Primitias animo oblaturus gratissimo. Beatum me! si ipsum hoc munusculum ea suspiciatur fronte, eo suscipiatur animo, qua nutritum est voventis devotione, qua profectum voluntate dicantis. Profecto jam non erit quod ultra metuam, ne sinistro spretum supercilio infelix gemiscat, dente critico laceratum claudicet, veritatis nostrum invidia flamma & rogis cruciandum cinerescat, & quasi luce indignum perpetuæ oblivionis & horroris tumulos visitet: TUO suffultum TUO tectum favoris clypeo prodibit intrepidum, vel viso enim TUO Nomine, & sub quo splendet Numine confusa recedet malevola hostium turma, territa invicto Religionis tuæ zelo; victa illustri

luſtri virtutum in te una conſpirantium cœtu: VIR Petra es Nomen TUUM illuſtre ſonat, & omen probat. Virtus ſuo TE ſinu foviſſe, lacte puriſſimo nutriſſe, tenerrimo affectu educaſſe videtur. Me Hercle Auguſtam virtutum TUARUM ſeriem, quæ longe facundiæ langueſcentis vires exſuperat, eo liberius ſilentio veneror, quo facundius eam uno ore miratur Hala, extollit Pruſſia, Famaque per oras orbis extremas longo decantat encomio, innatam nempe TIBI clementiam ubique exſeris, ut non tam TIBI quam aliis natus eſſe credaris, quis rerum in anguſtiis miſere preſſus quem non erexiſti, quis novercantis fortunæ luſu abjectus ad TE recurrit, quem non ſuſpexiſti, cui non proſpexiſti & tutum jam furori ſortis ereptum protexiſti; Petra es quam furor belli nullus, tempeſtas periculorum nulla, nulli laborum fluctus concutiunt, fortior perſiſtis ſemper, teſtantur illuſtria queis decoratus incedis inſignia, loquuntur tituli, effantur dignitatum faſtigia, quæ meritis, invicto robore, rara fortitudine paraſti, qui ferreas in ſegetes, apertas in Phalanges volitas felicique ſucceſſu penetras, ut vivum illud intrepidæ generoſitatis Auguſtum ſpeculum Regum ille in Terris glorioſiſſimus: Monarcha Boruſſiæ potentiſſimus non ſemel multorum in facie effatus ſit: TUA quod agitur dexteritate perfectum & ſuo quaſi Numine abſolutum approbari. Verbo dicam VIR PERILLUSTRIS MECAENAS gratioſus Mercurio dexteritate Jovi ingenii acutie, Marti generoſitate non impar es,

ut & Dii Deæque omnes unito fœdere in te promicent, ſic & æternitati par es quam benigno in omnes animo factisque præparaſti Heroicis: quæ & animum mihi addunt, ut eo majori fiducia pagellas has TIBI conſecrem ſub te tuto latituras, TUO cupiunt & anxie efflagitant foveri Patrocinio, TIBI dicatæ placere appetunt, quem donis ſupra naturam elevatum venerabunda intuetur, intuendo veneratur. Accipe igitur devotæ ſubjectionis leve quidem documentum, ſed animi gratiſſimi perpetuum monumentum, patere ut TUA ſit, fiet inde ut & ego, orbi conſpectius reddam quantum TIBI debeam: qui non deſinam precari ſuperos, ut anni TUIS æquent meritis TEque TUOSque perenni benedictione perennare jubeant: ſecundent cœpta unigeniti quem habes, filii, ut Parentis veſtigia legens immortali laudis honore decoratus, famam TUAE ſimilem aſſequatur, morituram nunquam, protegat ala Numinis TUAE generoſitatis ac dexteritatis ſurculum, ut Matris Illuſtris virtutes æmulans recto vivæ pietatis adoleſcat tramite, ſuperñæ benedictionis rore irrigatus Diis & hominibus gratior ſemper vigeſcat, vireſcat, voventis autem animum ſerena fronte, gratioſo affectu ſuſpicere non dedignare, enixe precor.

VIR PERILLUSTRIS, GENEROSISSIME,
MECAENAS PERQUAM GRATIOSE

obſtrictiſſimus TUORUMque infimus
GEORGIUS HECK.

DISSERTATIO

MEDICINAM PSEUDO-MIRACULOSAM APERIENS.

PROOEMIUM.

Satius esse de re ipsa quærere, quam mirari Divi sunt verba Senecæ quæ non parum me movere, ut plura quæ rugata fronte sed infirma ratione mirantur plurimi, jam non mirer, ast rimer potius, profecto sublimioris ingenii ac veros Philosophos libere semper in veritate inquirenda ratiocinantes hac ipsa via incessisse Galeni exemplo constat, qui *L. 2. de morb. vulgar.* ego quidem inquit, neque in Hippocratis solum, sed in omnibus antiquorum libris observo, ut non temere, quæ quisque eorum differit approbem, sed experientia & ratione verumne an falsum sit examino, ergo animadvertendum esse in eos jure concludo qui Physica tractantes, præcipitanter nimis varia nescio quæ sine ratione excogitant, sine principio amplectuntur,

ac

ac magnificentius ubique commendare non verentur, aut turpis lucri gratia, aut metu vel ficta pietatis ſpecie veritati obnitentes: futilius autem atque inutilius commentum quodnam latius pervagatum eſt, quàm quod de miraculis innotuit forum medicum involans? quod tamen puris putis conjecturis innixum, dolo plerumque plenum, nugamentisque prægnans oculatiori pateſcit orbi, pateſcet quoque tanto magis, dum hæc ipſa examinanda rectæ rationi contraria refutanda propoſui, quo ceſſet tandem anilis perſuaſio & liberis Philoſophorum ingeniis imponere deſinat, abſit autem ut ſimpliciter hac pagina Philoſophum induam, non habito medicinæ reſpectu, abſit ut omne id quod mirum videtur in orbe penitius intueri, ſolertius ſcrutari, intenſius rimari attentem, in volumen creſceret, quod brevibus ſepire limitibus placet, juvat potius ad inſtituti mei rationem, quæ Medica ſunt, eligere, Thema Diſſertationis orbi litterato ſubjecturus. Forſan excommunicationis ſententia fulminor, Papati Jovis fulgure auctori tamen minus moleſto quam paginæ, ſi infelix mancipiorum ejusdem in manus inciderit, quorum pias fraudes, impias potius dixero plebis faſcinationes, detegit, interim pro veritate ſtandum, non hæc me terrent, videbunt alii feliciore nati ſidere, num pœna innocuæ irroganda chartæ demerito congrua, judicabunt reliqui, quos aurum & argentum e credulorum loculis emungendi cupido nulla tangit, ſi temerarii aut impoſtoris culpa inurendus. Miracula mere ficta tracto, morbosque (ut ſcopo meo

fiat

fiat ſatis) naturali ordine ſanatos, aut curatos fuiſſe demonſtro, quos injuria in Medicinam maxima occulta & ſupra naturæ vires tranſeunte virtute eliminatos arbitrantur fabularum mercatores: atque ut clarius pateat, quid jam tractandum ſuſceperim, diviſam ſiſto tractationem, ut explorata paululum primum miraculorum natura eorumque criteriis, ad caſus, falſo ut miracula proclamatos, deſcendam, naturali ordine viaque ordinaria contingentes. Si ſingula, quæ hic afferre fas foret, non tetigero, non id adſcribas precor laſſatæ aut victæ explicandi potentiæ magis, quam tempori & lectorum patientiæ; ne ſi Diſſertationem porrigere promiſero, volumen ingens, & ordini & conſuetudini adverſans, enaſcatur: licebit tamen a generalioribus ad ſpecialiora facili concluſione tranſire, & quæ explicite non tractata creduntur, implicite tacta tamen videbuntur: fiat, ut cujus in nomine vela jam ſolvimus, ejusdem Numine ducti, remigio adjuti, feliciter ad littus appellentes & vela contrahamus, ſecundet prona benigni Numinis clementia, hæc noſtra cæpta, ut ſuperatis difficultatum ſyrtibus paſſim obviis trophæa laudis erigentes, canoros & ſonoros magis ipſi pangamus modos.

§. I.

QUi in perſcrutandis rebus metaphyſicis acumen ut putant, & perſpicuitatem cum amore veritatis conjungere ſueverunt, Miracula effectus eſſe in ſenſus incurrentes, ſed omnes omnium cauſarum vires ſuperantes affirmant definitione, nec clara

nec adæquata ſatis, cui enim quæſo perſpectæ adeo ſunt vires naturæ, ut quinam effectus eos ſuperet cognoſcatur aut judicari poſſit. Inadæquatam dein dices: cum multi effectus, naturalem excedentes ordinem, in ſenſus incurrant, minime tamen ſub miraculis abſolute talibus comprehendendi, cum & præſtigiæ Dæmonum, fraudes magicæ argumentatione manifeſta claſſem miraculorum obſcurarent, quæ tamen ſenſatorum nullus admiſerit, non negans mira eſſe, aſt minime miraculoſa, ni Deum per Beelzebub operari temeraria ac blaſphema defendat lingua: neque appoſitam judico diviſionem illam in miraculum naturale & ſupernaturale, etenim ſi naturali contingat ordine effectus ſupernaturalis, quomodo ſervabit conceptum altioris ordinis, qui vi contingentiæ ſuæ communem ſervat ordinem, dein, aut eſt naturale, mixtum quod fingitur miraculum aut non eſt, medium enim cum contradictorie ſibi opponantur, non erit, ni duo immediate ſibi oppoſita ſtatuere omniumque ſane ratiocinantium principia ſubvertere in vanum moliaris, tutius igitur atque aptius excluſa omni ſubdiviſione hic ſuperflua, Miraculum dicimus actum cauſæ primæ concurſu immediato extra naturæ leges & ordinarias vires editum: ut enim res aliqua naturalis dicatur, effectusque modo naturali ſequatur, juſta agentis ac patientis requiritur diſpoſitio ac proportio, ut ſeſe contingant (cauſa enim in diſtans non agit niſi medii alteratione) ergo quod naturale eſt ex oppoſito nulla habita proportione contactu & diſpoſitione ſeſe continget, ſed hoc ipſum contra naturæ vires eſſe apparet, ergo miraculum contra leges viresque naturæ pugnare legitime concluditur.

§. II.

§. II.

Quod leviter hic tetigimus paulo exactius & ex arte continuare libet, cum fundamentum ſit argumenti principaliter nobis intenti, quod ſi firmioribus ſtabilitum rationibus, fortius etiam ſuffulciet ſuperſtructas caſuum mille explanationes, ne protinus ad Divos fiat recurſus, ubi ratio cæcutiens inſolitis morborum ſymptomatibus eluſcatur, cum nil minus ſubſit quam tale quid: ergo proſequimur. Ut ſit effectus ſupernaturalis, ratio ejusdem nec continebitur in eſſentia & natura vel viribus corporum, nec in eſſentia & natura totius mundi, quis enim impoſſibile eſſe non intelligit, ut in præſenti rerum naturalium nexu rationem ſufficientem actus ſui habeat, quod ſupernaturale eſt, imo quod contra curſum naturalem pugnat? quæ connexio effectus ſupernaturalis cum cauſa naturali? quæ proportio inter id quod juxta leges atque id quod contra easdem accidit, cum & Medicum & Philoſophum hac opella agam attentius ipſam miraculi naturam inſpicere inſtituo non acquieſcens eo, quod ſit ſupra naturam aut ſuſpenſis a Deo naturæ legibus producatur, ipſa enim legum ſuſpenſio in quo tandem conſiſtat vix reperio, aut enim privativum aut poſitivum adſtruit? id eſt vel leges naturales paſſivæ omnino ſe habent & quieſcunt, aut aliquid contribuunt? contribuere quidquam quis eas adſerat in iis, quæ ipſarum potentiam exſuperant? ergo negative ſe habent, ergo aliquid aliud accedat oportet, quod effectum exſerat, jam vel illud continetur in natura vel non, ſi primum naturale vides reſultare, ſi ſecundum: ſane & ſupra & contra naturam id erit.

§. III.

Communi omnium conſenſu, ipſaque ratione ſuffragante mundus hic optimus eſſe merito probatur & perfectus, perfectio autem conſenſum in varietate prodit, qua plura inter ſe, diſtincta in uno conveniunt fundamento, ut ne quid deſit aut ſuperabundet, tantaque major perfectio cenſenda eſt, quo accuratior diverſorum convenientia, ergo ut mundus hic dicatur optimus, nexum partium omnium inter ſe admittere neceſſe eſt. Ipſa corporis tui fabrica ſatis hujus te convincit nexus. Actiones (ut fiat a minori ad majus concluſio) actionumque tuarum penitius ſcrutare principium, nulli jam dubio ultra expoſitus obviabit nexus, nunquid unum ab alio diſtinguis? quomodo diſtinguis niſi reflexione, quid hæc niſi manifeſte nexum importat? qui fiat ut certa ad objecta ſenſus tui moveantur, affectusque inde excitentur vehementiſſimi, ut anxio jam deſiderio his inhies, ſedula jam averſione alia repudies ſublato rerum nexu? qui continget, ut varii in œconomia vitali motus exſurgant, ſi inquietudine vexatur anima, ut membris dolentibus mens ipſa luctum compatiatur, ni nexui ſubſcribas: artificioſam machinæ humanæ partium ſtructuram, membra corporis examina fibræ nullæ, muſculi nulli nec tendines ſuum quem occupant locum ſine cauſa vindicant: in microcosmo autem ſi non obſcurum nexum intelligas, in macrocosmo, cujus partem eſſe noveris, negare eundem quid audeas? Totum enim mundi ſyſtema machinam eſſe concedis, cujus eſſentia certo in ſtructuræ modo conſiſtit, aſt qualibet in ſtructura certæ veniunt obſervandæ regulæ, ſecundum quas partes ipſæ conſtructionem ſubeant, ut neglectis iisdem

dem vix perfectum exurgat artificium, ipſas vero compoſitionis regulas cuivis parti ſuæ rationem coexiſtentiæ, nexusque inde legitime ſequentis indidiſſe perfectiſſimo omnium partium conſenſu clare videbis ni cæcutias.

§. IV.

Finge tibi mundum ut ſeriem ſimultaneorum & ſucceſſivorum: ſine nexu eadem non concipies: quodcunque enim compoſitum, quod aut imaginatione aut ratione aſſequi potueris, neceſſario ſpatium quoddam implebit, nam partes & inter ſe diſtinctas & extra alias ſubſiſtentes numerat, cum vero quælibet pars ſe ipſam certo ſpatio determinet, unusque locus ſingulis totius compoſiti partibus non ſufficiat, ſingula locum peculiarem obtinere ſequitur. Aſt vero locus in compoſito nil ordinat, ut hanc potius quam aliam compoſiti partem ſuſcipiat, ſed compoſitum ita ſpatium implet, ut ſtructuræ ordinem exacte obſervet, in ipſis, quas habet, partibus ordinis rationem continens, ergo cum locus unice determinatum coexiſtendi modum inferat, ordo coexiſtentium vero ipſum audiat ſpatium, ratio cur determinato hoc partes compoſiti modo coexiſtant, nexus ipſe erit, ſimultanea inter ſe jungens. Quem plane inconceptibilem & in ſucceſſivis eſſe non argues.

§. V.

Enimvero cum ipſe mundus compoſitum ſit, mutabilem etiam ipſum dixeris. Non enim abſoluta quadam neceſſitate partes ejusdem cohærent, ergo alium ſitum & locum occupare poſſunt, quin & actu occupant, aſt aliter occupare non queunt, niſi per motum vi definitionis, quæ eſt transpoſitio partium ex uno loco in alium, qui motus,

cum varia in eo distingui possint, quæ præcesserunt & subsequuntur, in tempore contingat oportet, jam vero absque ordine nil in tempore (quod est successivorum ordo) fieri poterit, quidquid autem in mutatione servat ordinem, simul & nexum involuit, ergo & successive in mundo omnia connectuntur quoad tempus, ut & hodie non probabili tantum sed mathematica etiam demonstratione explicetur, quomodo pro diverso telluris in circulo ad æquatorem solis obliquo motu tempestates & oriantur & varient, nec Astronomorum operam solertiorem fallat calculus, ex quibus jam fluit nexum eventuum in hoc universo juxta essentiam rerum & regulas motus mundo huic proprium naturæ cursum appellari, tam inviolabili nexu, ut quidquid hunc mundum constituit, aut fuerit, aut si non jam adsit, futurum tamen nexui involutum sit, ut licet eventus non sit necessarius, certissimus tamen agnoscatur. Quidquid ergo in essentia & vi hujus mundi fundamentum habet, ut vel ex structura partium vel motus regulis rationali modo aut jam evolutum sit, aut evolvi queat, naturale audiet, aut cursui naturæ conveniens, quod econtra rationem existentiæ tuæ nec in essentia nec in natura mundi habet contra naturam pugnabit.

§. VI.

Vera exinde Miracula sunt actus contra naturæ cursum, quis enim lynceis naturam perveſtigans oculis solide illa explicare unquam potuit? aut ergo accuratam explicationem admittunt, aut non, si primum profecto cessabunt esse miracula, non & enim miramur ea, cuius solidam rationem rimamur atque offerimus, ni totum naturæ cursum miraculum, & quod naturæ contrariatur, naturale

turale asserere libeat: si nullo evolvi queant ratiocinio, a nexu rerum non dependent, ergo contra naturæ cursum dicas, ipsam enim mundi essentiam esse necessariam si admittas, (ut nemo disputat) partium quoque mutationem, quæ a structura divelli nequit, pariter respectu essentiæ necessaria sit oportet, quomodo ergo miraculorum eventum accidentalem combinabis? cum nil ex hac structura & mutatione partium evenire per accidens possit, cum quælibet pars rationem in se contineat; cur ex hoc in alium transferatur locum, hanc & non aliam partem sibi coexistentem habeat; quo strictissimo nexu eventus omnis redditur certissimus, quo jam syllogismo probaveris miracula esse necessaria, aut aliquo modo certissima, cum oppositum sine contradictione ubivis hodie vigeat, nec contrarium sit statui aut præsenti aut futuro, nulla iis intermixta esse miracula. Sane quodsi absentia miraculorum naturæ cursui adversaretur, iis carere non posset insignique laboraret defectu, quem tamen inesse sapientum nullus statuerit eandem servando perfectionem, quam unquam habuit: quamvis hodienum non rariora tantum, sed fere nulla contingant.

§. VII.

Hinc non est, quod ex successivorum nexu deducenda arbitremur miracula, quis enim successive contingere affirmat certo labente intervallo? quod nullum ortus sui observat tempus, jam ipsa miracula in instanti adsunt, ut nec quid prius, nec quid posterius eorundem sit in origine denominari queat, haud enim impossibile erit totam ejus naturam evolvere, cujus in productione aliquod temporis discrimen advertimus, quod enim successive fit, ante-

antecedens a conſequente diſtingui patitur, dum vero diſtinctio valet, præſens etiam erit, quod diſtinguatur, a quo, exercitata judicandi promptitudo crebriorque rerum experientia ſi acceſſerit; facilis reſolutio non abhorret: ipſa vero miracula, cum omnem reſpuant explicationem, haud quidquam in ſe continebunt, quo reſolvi poſſunt, ergo eo ipſo ex ſtructura univerſi hujus haud derivanda veniunt. Nolim tamen hic confundas ſubitaneum cum inſtantaneo, naturalia equidem multa ſubito, breviſſimoque temporis eveniunt intervallo, quæ non auſim miracula vocare, motus celerior eſſe poteſt, quo minutiores ſunt transponendæ particulæ, animalcula enim armato ſolum conſpicienda oculo intuere, viva illa concipe, cor ſuccumque vitalem denegare non poteris, quin per cordis arterias humorum circulum, motum, pulſum, quodque ad vitam animalibus his æque ac aliis præbendam ac conſervandam aptum, concedas, tempus jam determina: quo vitales contingunt actiones, breviſſimum erit, aſt minime inſtantaneum, vel igitur eventus breviſſimo tempore prodiiſſe apparet, & cauſæ antecedentes indagari poſſunt, aut inſtantanee, & illud cum ex nexu deduci poſſit naturale, hoc contra cæteris paribus miraculum audiet, quod naturæ curſui repugnat, ut conſtabit.

§. VIII.

Eſſentia mundi ut neceſſaria ita immutabilis eſt, ut ſi quid vel accedat, vel inde aufferatur, eadem amplius non ſit, omnia ſiquidem contingentia etiam futura in mundi eſſentia quaſi ovula in utero lateſcunt, ut ſive ad perfectionem pertingant, aut ad eandem non perveniant, exiſtentiæ tamen ſuæ in natura fundamentum omnino habuiſ-

ſent,

ſent, ſi orta fuiſſent, ergò alia eſſentia, quodſi per omnipotentiam divinam mundo inferatur, ipſa mundi eſſentia mutabitur, partes ſegregantur, nexus diſſecabitur, ſicque miracula, ex cauſis naturalibus fruſtra deducenda eſſentiæ mundi inſerta, nexum tollent, immutabilitatem eſſentiæ mundi invertent. Quis enim concipiet eſſentiam aliquam alii eſſentiæ cum hac nullo modo connexæ obtrudi poſſe absque hujus vel mutatione vel deſtructione? miraculo certe miraculum ſolvendum eſſet; motuum legibus non minus quam eſſentiæ mundi inimicum: etenim lex a nemine in dubium vocata generalis ſonat: quidquid movetur, ab alio moveatur: & actioni contraria ſemper & æqualis eſt reactio, pluresque aliæ ex quibus Phœnomena naturalia oriuntur omnia, ergo illi eventus, qui nexui ordinariorum immiſcentur quidem, juxta regulas motus vero non oriuntur, legum earum certitudinem ni evertant, nimium quantum tamen debilitabunt. Aſt miracula quis dicat motuum regulas imitari: profecto orientur per motum, aſt non moventur ab alio quodam corpore, nullus enim intercedit nexus, in inſtanti adſunt, ubi ergo actio & reactio, quæ æquali communicatione proportionentur?

§. IX.

Probaſſe hiſce ſatis me arbitror ipſa miracula contra naturam ejusdem leges & eſſentiam certare eam evertere, non enim accidentia, quæ nunquam non mutabilitati ſubjacent ipſam variabunt, quando etiam ſub conditionibus ordinariis eventus prodiens, ſupponat mutationem motus aut materiæ. Neque eſt quod regeras, miracula peculiari uſu inſtituta eſſe & fine optimo: & ut cor-

pus quieſcens jam exiſtere quod novo motu introducatur, ut miraculum fiat, quis enim abſurdum eſſe non perſpicit, rem quoad eſſentiam ſuam eſſe ante exiſtentiam, non dicam: quod ut ſic tamen ſucceſſive fierent, ſi prior eſſet eſſentia quam exiſtentia, quod tamen miraculo in inſtanti contingenti repugnat, id vero ſcire aveo, ſi ante exiſtentiam jam adſunt, vel ſunt cum univerſo connexa & naturam miraculorum amittent, vel non ſunt, & quis erit uſus cum Deus & natura nil faciant fruſtra. Forte quæris: ſi ergo nullus miraculis ſtatuatur in hoc mundo locus? & cum naturæ vires ſufficienter nobis haud ſint perſpectæ, an omnia cauſis naturalibus ſint adſcribenda? dicam quod ſentio: quin imo vires ingenii noſtri completæ naturæ cognitioni impares ſunt, interim cum facilius ſapientiæ humanæ ſit definire, quid res non ſit, quam determinare quid ſit, in detegenda cujusdam rei natura a facilioribus jam cognitis ad obſcuriora difficiliora proceſſus eſt ordinarius, ut in effectus cujusdam nobis ignoti non ad infirmam opinionem, ſed ad cauſas illiusque circumſtantias intimius examinandas confugiamus, quæ ſi nos lateant cum analogis conferre, in ejusdem principia inquirere, & ſi viribus naturæ conveniant demonſtrabili modo evincere juvabit, quod opinio præſtabit minime, ex qua ſi dependerent miracula, innumera prodirent quotidie: repræſentationibus, quibus nil realitatis ineſt, in dies plurimi fallerentur, inſciosque fallerent. Abſonum inſuper eſſe quis non judicet? ſubito ad poteſtatem creatoris provocare, infirmo ratiocinio concludere: Deus potuit hoc vel illud diſponere efficere qualificare, ergo fecit, ut ſubito a poſſe ad eſſe tranſilias; quid? non improbas

probas abusivam qualitatum divinarum venerationem, dum non pauci omnipotentia sapientiaque divina factum credunt, ut certis rebus vis & energia talis indita sit, qua effectus producant contraordinarios, quod citius ore enuntiatur quam re demonstratur: cum planum sit Deum non omnia velle, quæ frustra ipsius imputantur voluntati.

§. X.

Deus amat ordinem: jam e communi hac hypothesi varia Deo adscribuntur, quæ ordinem violant, minimeque idcirco voluntati ejus adjudicari possunt, quid quæso usitatius (ut ad Thema meum proximius accedam) quid commune magis? quam corruptos, complicatos, anomalicos, incongruos ex hæreditate interdum natos affectus, incantamentis adscribere, quot non pathemata e mensium negotio prodeuntia, cum vermibus complicata, ex animi pathematibus genita, fascinationibus & viribus supra naturam agentibus adsignantur? quidquod non raro sub pallio vindictæ divinæ eximia ignorantia fraus diabolica latet, unde non raro simplicissimæ causæ naturales pro dæmoniacis potestatibus venditantur, quas si fugaveris, mirus miraculorum opifex prædicaris, fugitive autem ac citra ullam adhibitam prudentem effectuum quorundam inquisitionem, sufficientem indagationem, necessariam comparationem fascinationes accusare quid aliud esse arbitrer, nisi crassam cæcamque superstitionem, qua otiosa ingenia mox ad hoc Phantasmata & spectrum provocant, præter ullam rationem tam horridam causam expavescunt, propriam suam umbram exhorrescunt, causas & influxus naturales vane pro supernaturalibus æstimando superstitionem cum superstitione, Principem Dæ-

moniorum per Dæmonia ejiciunt, quæ si curatius perquirerentur, inculpatæ & accusatæ fascinationes paulo infrequentius occurrerent, sed certa est hominum species, quæ ad Dæmonem lucro gratissimum libentius confugit, quam ipsam ad veritatem non tantum commodi importantem.

§. XI.

Speciali autem tractatione occupatus, qua ea in foro medico obvia & ad idem referenda percurro, si miraculose contigerint: Hippocratem pro partibus meis stantem præterire nequeo, qui suo jam tempore ludicram virium supernaturalium accusationem reprehendit, dum de morbo sacro invehitur in eos, qui causis naturalibus omissis præcipitanter nimium ad Deos confugiunt, hinc morbus sacer inquit, naturam habet, quam etiam reliqui morbi, homines vero naturam & causam ejus divinam esse putarunt præ inexperientia & admiratione, propterea quod reliquis morbis nulla re similis esset, & per inopiam quidem, quod non agnoscunt, divinitas ipsi conservatur, per abundantiam vero & parabilem modum sanationis medentur, exsolvuntur enim aut expiationibus aut incantamentis. Si vero propter admirationem diuinus censetur multi morbi sacri erunt & non unus. Addit insuper: qui primi hunc morbum sacrum esse pronuntiarunt, esse tales, quales etiam nunc sunt magi, expiatores, circulatores, & quidem arrogantes, qui ficta pietatis specie amplius quid scire se simulant, consilii & mentis inopiæ divinitatem obvelant, quod nihil haberent, quod exhibitum prodesset, ut ne manifesta fieret eorum ignorantia sacram hanc affectionem esse tutius putarunt, collectis rationi-

bus

bus idoneis curationem conſtituerunt ſibi ipſis ſecuram, expiamenta offerentes & incantamenta. Dein de virginum morbis quantum non ridet illos, qui affectus earum Hyſterico-Hypochondriacos Dianæ aut Dæmonibus tribuunt, vatumque monitu donaria ac ſacrificia templis inferunt, ubi ſuadere potius videtur menſtruum negotium expedire, & quantocius nubere: ita enim fore, ut graviditas omnibus his malis imponat finem, quid aliud de Scythis effœminatis enuntiat, cujus cauſam in iram Veneris Uraniæ, cujus templum Aſcalone in Syria quidam e Scytharum exercitu ſpoliavere, quod ideo morbum effœminatum juſta vindicta inflixerit his & eorum poſteris. Teſte Herodot. L. I. p. m. 23. edit. Camerar. ubi alium in modum non ratiocinatur publice profatus: mihi quidem hi affectus divini videntur ſicut & reliqui omnes, neque ullum eſſe diviniorem aut humaniorem, ſed divinos omnes, verum unusquisque eorum ſuam propriam habet naturam, neque aliquis citra naturam accidit. Sat clare delineaſſe antiquorum ſuperſtitionem videtur, quam poſteri ſtrenue æmulantur.

§. XII.

Comparatione quadam antiquos ſuperſtitioſos ægyptios inter & modernos papiculas bene inſtituta, haud multum diſcrepare inter ſe intelliges, quis enim lingua aut calamo fraudum multitudinem enarret? atroque carbone depingere ſatis queat pernicioſam confuſionem & veritatum corruptionem in fingendis ſuis miraculis? idololatria, ſuperſtitionibus, incantamentis veritatem profanando conſpurcando, falſa opinione de diverſis ſubjectis naturalibus vel realibus vel fictis & imaginariis divinam

quandam poteſtatem prædicantibus, quæ ſupra & contra ordinarias vires ſupra probatas atque exploratas facultates ſubjecti agat, Deum temerarie in ſubſidium vocando, plus ipſi attribuendo, ac ipſe tum operibus tum verbo ſeſe notum fecit, turpi fraude rudiores circumveniunt, quod circa Deum verſari credantur; ac ſi in omnibus & minutiſſimis majorem Dei gloriam proſequantur, ſed eo ipſo Numinis honorem contaminantes egregia religionis cultusque divini ſpecie, opiniones fraudesque patrocinio atque authoritate Dei exornare contendunt, ſub diverſa & inverſa ſapientiæ larva ad varias ſuperſtitiones viam pandunt, vano zelo cœco rigore ſine ullo fundamento ſolido Deum in & ſub fictis qualitatibus certarum poteſtatum, profanatione potius, quam pio cultu, prædicationibus ad idololatriam plures inclinant, dumque imaginationes, perſuaſiones, veritatis ſplendore ſuperbientes, ſcioli declamant propagant, fit, ut non modo fœda talis ſuperſtitio in corrumpendis animis pro ſe militet, ſed & vana illa credulitas ſororias fidasque manus eidem porrigat, ſuſtentet, nutriat.

§. XIII.

Sed quid agam? in Romana Eccleſia, ubi agmina miraculorum indies quaſi naſcuntur, a multis jam ſæculis in morem abiit, ut qui ſupra vulgus ſaperent, receptasque vel conſuetudines vel doctrinas oppugnarent, non ſolum in hæreticorum haberentur numero, ſed igni etiam nullo unquam tempore intermorituro irrevocabili addicerentur ſententia, cum econtra, qui per naturalem mentis imbecilliratem, ac profectam inde ſuperſtitioſam credulitatem, aut per ſimulationem in quæſtum comparatam

omnes

omnes intenderunt nervos ad vindicandam religionem, id præmii manſit; ut poſt fata ſanctorum titulo in ſenatum cœleſtis curiæ conſcripti, ſupplici cultu, dedicatis templis & feriis celebrarentur, quid me jam fiet ſi indirecte fraudes eorum, quas pias vocant, detexero? quas circa reliquias & miracula ſtruunt, plebis credulitatem in ſuum vertentes emolumentum, quod doli genus ſæculis XI. & XII. frequentiſſimum licet ex parte detectum fuerit, fructuoſa tamen cum experiantur talia mendacia, monachi ſine ſcrupulo tueri ſatagunt, non terreor autem vano hoc fulmine, abſit a me diſſimulatio: veritas veritatis amatoribus placebit, dedecet omnem; quisquis ſit, ingenuum, veritatem abſcondere: aggredior igitur rem ipſam de qua mihi tractandum.

§. XIV.

Non immerito ad illud oculos & attentionem dirigimus, e quo ſcaturiginis inſtar fœcundiſſimæ plura promanant miracula, peregrinationes ſcilicet, non ignorum enim fore exiſtimo, quam fertilis ibi miraculorum campus pateſcat, teſtantur votivæ illæ quæ in peregrinantium ſuſpenduntur templis, tabulæ, loquuntur (ſi fides ſit habenda) tot picturæ, imagines, crura manus & integra hominum corpora, quæ miraculo ſanitati reſtituta, ſuam peregrinationi debuere incolumitatem, comprobant plurimi, qui ad peregrinationes ut aſylum certiſſimum votis ardentiſſimis convolant, falſo perſuaſi, miraculoſa ſic pervulgata ſtatura ſe ſanandos aut ſuarum calamitatum finem viſuros, norunt popæ & ſacrificuli commodo ſuo maximo: quin certa etiam convincunt exempla, plurimos inde optatæ millies reſtitutos ſanitati non miraculo tamen,

ſed

ſed via naturali: medicorum ſiquidem curæ ſubſtant, charæque ſunt non raro peregrinationes ejusmodi, quæ ſublevandæ ac reſtituendæ ſanitati non parum conferunt, & ſuas artis ſalutaris filii habent peregrinationes, ad quas valetudinarii aliorum remediorum uſu vano, ut ad aſylum & medium certiſſimum anxie anhelant, cujus ope voti non raro compotes redduntur: & profecto ſacræ illæ macræ forent ni virtus medica plus ageret quam imago miraculoſa.

§. XV.

Peregrinatio omnis mutationem loci involvit, quæ aperte variationem aëris ſimul complectitur, jam tanto purior aër ipſe judicabitur, quanto elevatiore loco expoſitas frequentiſſime cernimus aras, quo peregrinantes feſtinant: cumque vernali aut æſtivo tempore ſuſcipiantur, majorique populi confluxu celebrentur: quid mirum? ſi motione illa corporis, aqua montana ſaluberrimis ſuis e ſcaturiginibus proſiliente ſanitas vacillans erigatur, amiſſa reparetur. Species ergo motus ad peregrinationem neceſſaria concurſu aliorum adminiculorum profecto præ aliis motibus quotidianis ſalutifera magis habenda videtur: ambulationes, equitationes, vecturæ, navigationes, quid non opis præſtabunt? cum libera mentis jam non motu coacto iter ſuſcipientis accedat erectio, ut (pulſo omni adverſo animi affectu) fiducia, bonis votis ſimilibusque gratis affectibus velut comitibus ac ſociis ſublevetur: certum autem, quidquid animum erigit, corpori etiam proficit, cum igitur peregrinationes non mediocrem animo inſpirent ſatietatem, quid vitali œconomiæ non obveniet? etenim cum curis domeſticis jam non vexentur, conſpe-

conſpectu diverſorum objectorum diſtrahantur, uſu variorum hominum excitentur, quid non levaminis ſortiantur? quando inquilinus aër ad exacerbationem præſentis morboſæ infirmitatis & afflictionis contribuit, perpetua modo aëris mutatione non parum humores perflantis atque expurgantis, quis facile eos levari non perſpiciet? cum Galeni teſtimonio firmetur *L. I. de ſanit. tuend.* puriſſimum & temperatiſſimum aërem in pulmones attrahere omnibus juxta ſalutare eſſe, impurum enim omni ætati adverſari.

§. XVI.

Peregrinantes, quicunque ſint, ſi obſerves, majori ſæpe delectatione cibos captare reperies, commotio corporis crebrior avidiorem & ardentiorem excitat appetitum, ergo functio hæc naturalis innovabitur, quæ domi, quo magis magna cum ſolicitudine & inquietudine de adverſa ſua valetudine cogitant, eo magis deſtruitur, ſupprimitur; quin aqua dulci limpida juvari ita ſe ſentiunt, ut ſolo ejus uſu ſanitatem aliquando recuperaſſe dixeris, & e fonte petrarum integritatem hauſiſſe putes, quas & Hippocrates non vili commendat encomio (*conf. Sam.* CELLARII *Origines & Antiquitates Medicæ*) tanto certius, quo fortius peregrinatio invitat, ut potus largior excipiatur, hac enim via interiora magis humectantur, diluuntur, dum aliquando contingit, ut domeſticis conſuetudinibus parcius bibant, ſicque morbificas cauſas facile contrahant aut generent: unde fit, ut ſenſim ſe- & excretiones liberius & liberalius ſuccedant, appetitus augeſcat, ſomnus magis æqualis conſtans & ſufficiens reddatur, tandemque naturali libero & ſecuro modo morbi ſtatus &

valor infringatur, e fundamento ſæpe tollatur, radicitus exſtirpetur, ipſaque ſanitas ſane ſine miraculo reſtituatur.

§. XVII.

Varias affectuum invaſiones ſi peregrinatione audieris ſublatas, ne puta miraculo contigiſſe, naturale eſt: ſi enormes vertiginum moleſtias, cephalalgiæ cruciatus, ophthalmiæ tormenta, auditus vitia, tumores œdematoſos innumeraque alia, quæ exemplis & hiſtoriis declarare odioſum & otioſum foret, peregrinatione curata legeris, cum enim a morbifica & inquieta ſanguinis plenitudine ortum ducant, hæc variis modis corrigetur, dum motu corporis ſuperflua & nimia copia ſucceſſive efficaci reſolutione imminuitur, partim intimiori permixtione ad æqualem temperiem ac puritatem promovetur, reliqua quoque copia & maſſa ſanguinis magis attenuatur, æquabiliter per univerſum corporis canalem diſtribuitur, unde varia excretoria, imprimis cutis pori aperiuntur, permeabiles redduntur, ſufficiens ac neceſſaria tranſpiratio reſtituitur, difficilior ſudatio allevatur, aliaque commoda in ſanitatem redundantia naturali plane, placidoque modo provocantur.

§. XVIII.

E Menſium ſuppreſſione, quæ non horrenda ſymptomata ſenſus percellunt, per peregrinationes tamen feliciter expulſa? naturali quidem via; nam ad menſium perruptionem ſufficientemque fluxionem, hanc motus ſpeciem utilem eſſe, quis non intelliget? pulſa mentis cura, quæ in meticuloſis & ſenſibilibus fœminis ob adverſam valetudinem valde abjecta & afflicta eſt, ſanguinis intenſiore diſtributione ac circulatione, viarum ſe- & excretoria-

rum

rum meliori apertione, auctiori uteri actuatione, affluxuque & progreſſu ſanguinis ad & per illum fortiore, adjuvari ſalutarem illum fluxum apparet, invitari, facilitari neceſſe eſt, & ubi miraculum? ubi fundamentum ſanationum miraculoſarum in chronicis etiam affectibus ex varia viſcerum obſtructione oriundis, quas plenis debuccinant papicolæ titulis? profecto non niſi in peregrinatione qua tali, ſine reſpectu ad ſtatuam mortuam, aut imaginem infirmam, mutatio domeſticæ vitæ, moleſtiarum oblivio, aliaque connexa integram mali curam facient, & melancholiam, non raro conjunctam, ſi ſupponas, quidni concedas objectorum varietate, gratisque negotiis corruptarum idearum oblivionem induci? malumque profligari.

§. XIX.

Cum medicis ſcribam: fuſiore non opus eſt ſermone, aliam Hæmorrhagiarum ſpeciem pererrare, cum ſtricto nexu menſium imitetur negotium, Hæmorrhoides intelligo, multorum radicem ſymptomatum, quotidiana enim docet experientia, peregrinatione, variisque ſub ea ſuſceptis motibus, ſalutari & naturali fine illam terminari, ut obvia ſint & exempla, virorumque graviſſimorum teſtimonia: queis tanto lubentius ſuperſedeo, quo communius omnium de arte ſalutari optime meritorum authoritate & hodie fundentur, & ad facilem & liberum Hæmorrhoidum ſucceſſum laudati motus ejusmodi ſuadeantur. Moderatæ ſiquidem concuſſiones locorum hæmorrhoidalium, quæ ſub itineribus contingunt, ultimam perruptionem venarum ſanguine jam tumentium adjuvant, accelerant, dumque iidem motus alvinam excretionem pro-

vocant ac promovent; eo certius & citius hæmorrhoidum etiam ſucceſſum alliciunt; quin, ſi ſpecialiſſima obſervatione varios afferre caſus pagina permitteret, fruſtra miraculo factum crederes, tot polypoſa in & accrementa, rebellia ulcera, contracturas tabes certosque affectus paralyticos vi peregrinationis nude in ſe ſpectatæ, quin ad prodigia recurras, ſucceſſu ſalutifero curata fuiſſe, ſteriliratem præcipue in gratam fæcunditatem fuiſſe mutatam quid vulgatius? ad quam, etſi ipſum motum cæteraque peregrinationis commoda contruibere poſſe non inficiar, quin potius virtutem fœcundæ conceptionis innovare defendam, adſerere tamen in omnibus non auſerim caſibus, cum, ſi non imaginum ſtaturæ mortuæ, ſacrificulorum certe perſonæ vivæ devotione ſua, influxuque majori, plurimum non raro contulerint, ſed nunquid hoc miraculum?

§. XX.

Nolim tamen hic me arguas, manifeſto me ſtatuere miracula, cum abſolute defendere non dubitem, affectus plurimos peregrinatione feliciter tolli, quos tamen (ni peccare velim contra & in ipſam medendi ſcientiam) via naturali curari poſſe videtur impoſſibile: temerario auſu immiſcens affectus, quos omnes, qui primis ſaltem labiis deguſtarunt medicinam, incurabiles eſſe declamant: verum quidem non nego, morbos infauſtos ſimul conjunxi, aſt cum ſanationem adhuc admiſerint, ſuppones pariter, in tantum eos conſiderari, in quantum profundiores & firmiores non fecere radices, nec majores acquiſivere progreſſus, viſcera mediocri obſtructione laborantia, praecipue ſi hepatis & lienis infarctus, glandularum meſenterii indurationes, uteri & genitalium ſcirrhi fundamenta ſternunt,

nunt, anxieque moleſtant, hoc in reſpectu deprædicatum adminiculum inſignem utilitatem medicam aperitivam & diſcutientem pollicetur, actuque præſtat: cum nec ultra miraculorum opifices agant, ni fraude & fuco credulos, ut ſolent, decipiant.

§. XXI.

Ipſa veneratio atque invocatio ſanctorum ſanctarumque (de fraudibus ſi forte dubites) ſatis te convincent, jungo ſimul reliquias, quas beatorum particulas eſſe venditant, caroque pretio vendendas aſſervant non immerito quidem, informia etenim quamvis appareant ſceleta, ſucci ac vigoris omnis expertia, aureis tamen ea crederes gaudere venis, quæ globos ſanguineis multo rariores & chariores continuo volvunt circulo, prodigo effundunt flumine in unum mercatorum & prædicatorum ſuorum emolumentum, qui, neſcio quibus titulis, laudum præconiis, ſolitisque lenociniorum ſophtismatibus, quibus inertia membra, infirmamque horum virtutem extollunt, in omnes afflictos, imbecilles, morbificis gravatos anguſtiis (ſi firma fiducia eo confugerint) certiſſimo effectu diffundendam, ut jam credulis nullus dubitandi relinquatur locus, quin hæc ſacra ſit anchora, ad quam recurrentes infallibilem malorum medelam ſint conſecuturi, verum eſt, & lubens concedo, non unum votorum ſuorum exinde vidiſſe, ſenſiſſe complementum, ſingulas enim Hiſtorias ut fabuloſa figmenta declamare, fidem omnem denegare, ſtultum foret, ſed neque idcirco ad aliud extremum inſano magis ſaltu transeundum; medio tutiſſimus ibis, ipſique vi imaginationis virtutem maximam in his caſibus ſi adſcribas, non erraveris.

§. XXII.

Quantam vim imaginationi plures attribuerint, quantas vires in ea latentes deprædicaverint, non pauci scriptorum probant, qui ridiculo satis ratiocinio, luxuriante ingenio, sed abortivo judicio fieri posse defendunt, ut imaginatione ejus, qui animam habuerit puriorem, a fæce materiæ magis abstractam, sub sidere & imperio Jovis conceptam, nives & ventos excitet, longe distantes commoveat, sitque virtutibus hisce a Jovis influxu sibi communicatis, ipsa quasi Jovis imago, sit ipse quasi Jupiter (Avicennæ verba sunt) in tantum, ut agat sine contrario, operetur in distans sine medio, tandem in omnes res materiales eam exerceat potestatem, ut plus ab ea, quam ab ipsis agentibus naturalibus valeant alterari, ut hominem possit sine matre, utero, & semine generare, tonitruare, cur non & fulmina jaculari? horrenda vis? quam tamen ita certam vendit, ut ineptos autumet, qui non assentiuntur, non prævidens in ineptis ineptam sequi fidem; sit ut sit, pro scopo nostro sufficiet probasse, vi imaginationis morbos, rursumque sanationes phantasiæ lusu, maxime circa reliquias, ac Beatorum invocationem agentis, inferri, ut libens hic Pomponatio subscribam satis Emphatice enuntiantis, ossa canum tanta patratura fore miracula, si a colente putarentur esse ossa SStorum, quam si vere talia scirentur, per solam colentis imaginationem. Neque recurrere juvabit ad illud, demonstrationi rationali parum inserviturum, animam Hominis Magnetem esse (ut multis adserere placuit) qui quidquid demum appetit, in sua exaltatione ex quatuor Elementis ad se attrahat, insitaque erga animam obedientia, qua singulæ res mancipantur, fieri, ut ipsius ad vota fortio-

fortiori desiderio nixa quamprimum obtemperent, Theoria gratissima, si praxin admitteret? ast quot cæci visum, quot surdi auditum, anxiis quidem sed irritis sibi precantur votis, quot miseri emunctos impleri loculos affectu intensissimo meditantur, sed effectum tristissimum lamentantur, alio igitur nostra ratio incedet fundamento.

§. XXIII.

Quotquot Medicinæ suam sacrarunt operam, illustribus medendi scientiam auxerunt observationibus, certioribus perfecerunt principiis, uno ore consentiunt: ægrotantis fiduciam affectuum gravissimorum sæpe mederi insultibus, fidem & spem erga medicum plus interdum efficere, quam ipsam cum medico medicinam, id enim virtutis inest fiduciæ, ut spiritus langueſcentes (si fas sit ita loqui) reviviscant, tardus humorum progressus, metu reconvalescentiæ inductus, jam novo vigore invalescat, purpurei laticis circulus increscat, actionum vitalium ac naturalium successui velificetur: jam vero fiduciæ plenos quis ferri non videt credulos ad ipsas sanctorum reliquias? quis diffidentiam, metum, mœrorem, (unde succi vitalis torpor, functionum turbatio natales ducit) exulare non perspicit? ut citra miraculum lege rationali, integra resurgat machina. Nec pugnat contra, sed probat id potius, eventus ille Parisiis 1725. publice ut miraculum declamatus, scripto Episcopali concelebratus, quod fœmina invocatione panis benedicti solenni processione per vicum quendam, quem ipsa inhabitaverat, deportati, subito sanata apparuerit: quæso enim circumstantias attende, vivacissimam mulieris perperam perfuasæ imaginationem de præsentia reali & vera in pane circumgestato pondera, contentio-

tentionem, qua fortiſſima corporis agitatione manibus pedibusque feſtinans, proceſſionem inſequitur, explora, nonne vi imaginationis motuque corporis auctum fuiſſe ſanguinis circulum fateberis? magnamque in partibus fluidis mutationem inde ortam concludes? e qua totum ſanitatis negotium dependet. Conceſſo autem quod ſubitanee ſanatio contigerit, quid ſequitur? ergo miraculum: minime, inſtantanee contigiſſe requiritur, quod tamen medicamenta, quibus fluidæ cum ſolidis ad integritatem ſubſequentem aptatæ fuerant, ſatis refutant.

§. XXIV.

Simili Phantaſiæ luſu Exorciſtæ ritibus ſuis, qui non minus doli quam ſuperſtitionis alunt, virtutem conciliant: quam effectu ſimili plures ab Epiſcopis non ordinati imitantur, decepti tamen & irridendi ambo, qui vel carminibus aut Exorcismis affectus naturales propellere cogitant medio tali, quod nulli ſapientum probatur, quin fabuloſum ſuperſtitione comitatum judicatur, quo verbum Dei in profanationem ſumitur. Quaſi morbi complicati, corrupti, transfigurati, nec raro hæreditarii ex faſcino atque incantamentis naſcantur, ubi ſuperſtitioſi homines mox mira ſibi concipiunt, ad varias occaſiones cum lepida Phantaſia colludentes (unde faſcinationes illæ ortum trahere videntur,) provocant ut intricatis in affectibus, a naturæ viribus unice propullulantibus, vires ſupra ſolitas naturæ regulas, effectus & influxus ſupernaturales accuſent.

§. XXV.

Plurium enumeratione caſuum ne paginam opera inutili obruam, ſufficiet ille Pariſiis vulgatus, quo Hyſterico-

rico-Epilepticam, convulsionibus insuetis, ineptis sermonibus, variarum rerum per os ejectionibus vexatam legimus, pluresque loci ejusdem incolas in templo præcipue simili spasmorum insultu correptos & ad maciem usque exhaustos fuisse, quis penitius examinans fascinum, quis Dæmonis obsessionem arguat? & quantum ad convulsiones, non video, quomodo in Affectu Hysterico Epileptico mirum quid involvant, qui sæpissime illis stipatus incedit comitibus, miraris potius, quare in ipso templo magis sævitiem & furorem spasmi exferant, suamque ludant tragœdiam? sed ipsum hoc in imaginationem læsam referes merito, cujus tota vis reviviscit certis in circumstantiis, quæ objecta revocant, quarum actione primæ magisque notabiles impressiones factæ sunt, quidquod falso sibi persuadeant, se fascino ligatas, aut dæmonem fovere; quæ opinio cum intime obsideat animos, non mirum est, si vi harum impressionum simile quid efficiant, absona loquendi ratione adstantium aures percutiant, cum non ignorent communem populi rumorem, a Dæmone possessos in templis vehementius exagitari, mira blaterare. Conf. Dn. D. PRÆSIDIS Dissertat. *de morbo habituali motuum ex imaginatione.* Simile declarabitur in filia clangosis ructibus infestata, preces ad Deum fundere prohibentibus extra librum tamen liberum hoc exercitium permittentibus.

§. XXVI.

Sed hic nodus est Gordius inquis: res diversas vomitu rejectas causæ alii, quam fascino tribuere: sed, necdum victas ideo manus præbeo, Melancholia enim, qua frequentissime talia subjecta vexantur, id agit, ut ægri in-

ſcii, quidquid manu prehendunt, in os ingerant, nec advertentes deglutiant, ubi Dæmon, ubi faſcinum? ſi motu ventriculi inverſo incongrua rejiciantur, ad quid Exorcismi? niſi clavum clavo trudas, imaginationem imaginatione emendes, quæ ipſa cauſa eſt, quod plures loci anguſtioris incolæ pari affectus inſultu torquerentur, ſiquidem convolantes illuc homines, novas miſellæ mulieris geſticulationes curioſiori oculo obſervaſſe non dubito, morbum pro dæmoniaco habitum continuis proſequentes cogitationibus; qua fieri facile potuit, ut, quæ delicatam mollemque cerebri temperiem & ad hos effectus diſpoſitionem nactæ ſunt, iisdemque premerentur ſymptomatibus, quod confirmare videtur, Dn. D. PRÆSES Diſſertat. memorata: & ignorare non poſſunt oculatiores medici, quæ paſſim obviant in ſpaſtica affectuum claſſe, ubi mirabilia profecto Phœnomena licet obſtupeſcant, de naturali eorum cauſa indaganda tamen nunquam deſperant, ſedula cura malum ſuperantes, convicti vel ſolo menſium minus rite ſuccedentium negotio, quæ enim motuum aberrantium ſchemata? jam exacerbata ſpaſtica & convulſiva, jam ſuppreſſa lipothymica & ſuffocativa per haſce ſanguinis reſtrictiones, in iis, quæ lunare tributum non ſolvunt, ſatis experiuntur, quin plane ablata omni materia peccante ſolis ex animi pathematibus tantis inſurgit natura motibus, qui non modo vehementia ſua, ſed & intricatiore indole admirandi veniunt, quis tamen ad cauſas ſupernaturales? quis ad exorciſtas confugiat? qui non Rythmis ſolum, ſed manuum impoſitione quoque credulos ludunt & loculos vellicant.

§. XXVII.

§. XXVII.

Profecto pari paſſu ambulant conjurationes in ſalutem ſic dictorum energumenorum inventæ, & manuum impoſitiones plebis credulitatem obſtetricante phantaſia ſecundantes, quantos plauſus non tulit famatus ſed diffamatus hodie Greatrackius plures per manuum impoſitionem curas fingens? donec compertum eſſet omnes illas ſanationes non niſi credulitatem populi pro fundamento habere, ſitque ſimul animadverſum putatitium hunc miraculorum opificem majori attentione fœminas, quam viros, medicantibus palpare manibus, ut nati inde amores clandeſtini fraudes detexerint, virtuti miraculoſæ larvam depoſuerint, teſte CAROL. DIONYS. *de S. Evremond.* de quo plura PECHLIN. *in Obſervat. l. 2.* ſuppeditabit. Si famoſam quoque Regum Galliarum in tollendis ſtrumis curam hic annecterem, firmæ muliercularum perſuaſioni maxima ex parte tribuerem. Profecto ſi ſtrumæ, diverſæ excreſcentiæ, verrucæ per contactum manus mortui, applicatione horridi ac adverſi ſubjecti reprimantur, reſorbeantur, ut *A. N. C. Dec. 2. an. 2. obſervat. 140. an. 1. obſervat. 11.* exemplis confirmant, quid non aget manus Regis? quam effectum non ſpirabit potens illa Monarchæ dextera in credulo teneriore ſexu venerabundis conceptibus cuncta inde ſibi promittente, non tamen miracula, quæ protinus evaneſcere cogunt Medici, qui vim manus regiæ actuant, conſilio & auxilio adſtantes nec quamcunque ſtrumoſam admittentes vetulam, aſt eas duntaxat, quas artis potentia curandas judicant: & quid hic miraculi?

§. XXVIII.

Nullus jam ſupererit ultra ſcrupulus hæc perpenden-

ti, qua tandem vi Amuleta, ſcapularia, pulvilli (vulgo agnus Dei) agant, multorum malorum monſtra fugent, ſui portatores contra omnia pericula defendant, ne faſcinationibus morbificis, ſagarum inſidiis, aliisque corporis ſtructuram multum lædentibus ſuccumbant: quaſi ſancti illius depicti, quem ſecum jam ambulare quocunque credunt, præſidio tegantur, caracteribus, ſignaturis miraculoſis, virtute abſoluta gaudentibus contra adverſa muniantur: ſed ubi quæſo virtus eſt? in figuris litterarum, an in intellectu ſenſuum? ſi in figuris: bene circa collum portantur, ſi in ſenſibus, profecto melius in corde repoſita proderunt, quam circa collum ſuſpenſa, quam vero vim in corpus inſpirent, nulla ratione aſſequi datur, ſi phantaſiam ſuſtuleris, nihil enim eſt, quod eam magis capiat, magisque decipiat, quam ſubjecta hæc; quorum geſtationem ſalutaris non raro conſequitur effectus, quamvis in ſe conſiderata ſterilia ac debilia ſatis appareant, imaginatio tamen externis qualitatibus acrius ac contumacius nitens, figura colore magnitudine aliisque aſſimilationibus ſe delectans, extraordinarias, imo plane myſticas virtutes ſibi declamatas plena fide de iisdem exſpectat.

§. XXIX.

Diſtinguere juvat pulvillos odoriferos quandoque medicis uſitatos, nervino aliquo aut roborante effectu gaudentes ab iis, qui prærer ſignaturas, & caracterum modificationes, nil habent, de quibus cum Rejeſio dicas, ſi non meræ nugæ, inutilis certe & evanidæ arrogantiæ chimeræ ſunt Somniatoribus agyrtis convenientes magis, dum ſtultum populum ex appenſione rerum vilium quodvis hariolantes in admirationem trahere, certo effectu promitten-

mittentes, crumenas emungere ſtudent, atque ut rudibus anxie quidquam anhelantibus complaceant, futili mendacio in optatam ſpem erigunt, ut apertis marſupiis liberalius tantæ felicitatis augures remunerentur, nugas apellat fraude turgentes, nec injuſte, quam ſtupendas enim in favorem amuletorum finxerunt hiſtorias aut fabulas, ut nil jam in terris, nil in aquis reformidandum venerit, vulcani Neptunique furores umbra pulvillorum tecti feliciter evadentes? ſed quis fatuas eſſe perſuaſiones abneget? quis obſoletas relationes, inſomnia, reliquias hiſtoriarum & experimentorum anteſignanorum non apellet? quibus, quicunque auſcultaverit, facile in abyſſum ridicularum Phantaſiarum rapietur. Sed ne extra ſphæram ſpatier, & alia, quam quæ foro medico ſubjacent, attingam ſufficiet oſtendiſſe, imaginationi nudæ in acceptis referendum ſi geſtatione pulvillorum morbos aut ſuperaverint, aut proximo in periculo non contraxerint: ut & ab ipſa peſte immunes perſtiterint fuſius docet BARTHOLIN. *hiſt. anat. Cent. 3. hiſt. 41. Cent. 4. hiſt. 76.* nec minore fide dignus REJES. *q. 66. p. 891. n. 16.*

§. XXX.

Tanto magis autem Amuleta, variaque hujus furfuris ſubjecta arbitror aſpernanda, quanto propius ad idololatriam accedere ab antiquiſſimis gentilium temporibus ſuperſtitionis labe infectis in hæc usque ſæcula propagari hiſtoricorum fide conſtat, nec quemquam facile reperies recta ratione eventus diverſos dijudicantium, qui non rideat nugas tales anil[illegible]s ſapiente indignas, cum rei ſanctæ nuda ſignificatio Phyſicam qualitatem nullam vocabulis imprimat, caracteres incogniti nil ſint, niſi artificis idea,

cui hoc vel illo placuit imprimere ordine, nec a morbi authore, nec a ſe ipſis efficaciam ullam habere queant, ſteriles ſunt figuræ, quarum nulla eſt in agendo potentia, neque enim ab impreſſo ſigillo, aut quocunque caractere, ſed a ſubſtantia vis in agendo dependet. BIDLOUM conſule Exercit. anatom. chirurg. increpantem audies eos, qui putant vel Dei, Apoſtolorum aut quisquis demum ſit, beati nomen ad morbi eliminationem ſufficere; vidit is, Hiobi nomen chartulæ inſcriptum, amuleti in modum collo appenſum contra peſtem, imo luem veneream frivole deprædicari & *Act. medic. Uratislav. 28. tent.* Clericum minoritam allegant, qui ægris devorandam exhibebat ſchedulam, in qua verba hæc minorita non indigna legebantur: in omine Dius pater & filius & ſpiritui ſancto, nonne impiam hic fraudem, ſuperſtitionem execrabilem arguis?

§. XXXI.

Oculos ſi non dedigneris vertere in fœminas partu laborioſo aut difficiliori laborantes, miraberis quidem, credulas ſimplici fruſto corii a fratribus cucullatis perſuadendi artem optime callentibus porrecti, levamen ſæpiſſime ſenſiſſe, aſt ridebis ſimul, quod virtute myſtica ſuperna fœtum promovere ſibi perſuaſerint, relictis enim aliis partus difficultatibus, unicum ſitum fœtus vitiatum conſideres, hunc a corio corrigi poſſe quis dicat? niſi qui ultra crepidam ratiocinari ignorat: caſum conferre libeat ex *Act. Nat. Cur. Dec. 2. an. 8. obſ. 17.* partum ſcilicet campanarum ſono facilitatum. Profecto ſimili virtute cum corio aget campana. Adde ex Reinero Solenandro (ut plures alios taceam) quod parturiens filium ſit enixa devorando chartam,

chartam, cui inſcripta ſolum fuere remedia, intelliges, quid fiducia, quid imaginatio poſſit in removendis partus difficultatibus?

§. XXXII.

Decipiuntur miraculorum ad nauſeam & ſuperſtitionem fautores, ſi aliis in eventibus, ubi imaginatio vix locum habere videtur, ad ſua recurrant inſtrumenta, ad ſuos appellant ritus aut jocos, quorum ſubtilitate occæcati, vel craſſitie obvelati intueri clare prohibentur, quid medicina interveniens contulerit; cujus potentia puellus variolis laborans Lugdunenſis ſex ſeptimanarum ſpatio amiſſum recuperavit viſum (litter. hiſtor. Gallic. 1727. menſ. Mart. p. 368.) cum ſana ratio dictitet oculos pueri verioloſi non ita laboraſſe, ut miraculo opus ſit, integri cum fuerint oculorum globi, nec niſi muco albicante, tumore palpebrarum, conglutinatione ciliorum ab actione libere excercenda impediti, ut fruſtra miſſarius ſuo purificatorio aliisque reliquiis, ter applicatis, ni ſextus numerus aliquid forſan effecerit, ſucceſſum arroget forte fortuna contingentem ſalutiferum. Evenire ſiquidem communiter aſſolet in infantibus variolantibus, ut ocelli ſœpiſſime occluſi, ſponte ſubito ac præter omnem exſpectationem aperiantur, palpebræ, ſi tumor jam nullus obſtet, ſolaque conglutinatio obicem ponat, ſpontaneo niſu a ſe invicem ſecedant, ſine ope aut miſſarii cujusdam aut purificatorii, quod cum imprægnatum ſit ſæpe vino, robore nervino, quo gaudet, contribuere quidquam poſſe non inficior, procul tamen a miraculi ordine. Plura ſi petas, hujus caſus illuſtrationem vide in diſſertat. *de miraculo imaginario in oculorum graviori morbo.*

§. XXXII

§. XXXIII.

Saltem inquies, id omnem naturæ ordinem excedit, quod in ecſtaſin rapti plurimi futura præſagiant, ſpiritu quaſi prophetico varia vaticinentur, quod cum crebro contingat, cur miraculis præcludatur via? aſſentirer lubens ni contrarium ſana ſuaderet ratio, quam certa morborum confirmat indoles, nec paucæ convincunt obſervationes idem adnotantes. Catalepſeos, aliorumque cerebri adfectuum ſpaſticorum ætiologiam qui norit, ſubjecta talia communiter alta inter ſuſpiria ad ſe redire, mira ſæpius, quæ vel auribus vel oculis percepiſſe ſibi fingunt narrare non ignorat, accedit, quod fœminæ præ viris ob fibras molliores ac ſenſibiliores ſpasmis ejusmodi reperiantur expoſitæ, quarum teneriori ſtructura, ad ſuſcipiendos generis nervoſi motus inordinatos proclives admodum, ad impreſſiones animique paſſiones fortiores tenaciter fovendas, morbos ex corrupta Phantaſia ſuborientes citius diſpoſitæ deprehunduntur, quid impedit igitur, quo minus catalepticam appellem virginem illam 1707. Pariſiis pro Ecſtatica habitam, quæ, cum ex menſium ſuppreſſione affectionem contraheret, apertius ſpasmos via ordinaria ſæviſſe, inſultum catalepticum naturaliter decuriſſe indigitat, nec refert, quod ſub invaſione, & fine paroxysmi, fronti manum applicaverit, ac varia pietatis ſigna dederit, ruunt hæc, vanamque miraculi ſpeciem exuunt, quod dum Medicorum curæ commiſſa eſſet, jam nec viſiones viderit, omnemque Phantaſticæ ecſtaſis ideam amiſerit.

§. XXXIV.

Ut ſenſim ad finem tendam, ipſas ultimo loco Hæmorrhagias & ſudationes cruentas ſparſim in multis au-

thori-

thoribus miraculoſas fabuloſe pervulgatas appono, profecto qui facile credit facile decipitur, qui cœco pruritu talibus narratiunculis fidem dare, neque neceſſarias circumſtantias indagare ſatagunt, aberrabunt facile. Cauſas perpendere juvat, ne cita fiat concluſio peſſima, Papa dixit: ergo verum eſt. Sed quænam via ineunda hisce ſe tricis expediundi? non fallit Medicorum contemplatio, ſanguinem in demortuis facile congrumeſcere, fibras motrices utplurimum obrigeſcere, ac proinde cruorem ſuis in vaſis ſtagnare citius, quidquod Hæmorrhagiæ quædam breviter poſt mortem ſubſiſtant, & in affectu illo, mortem quadantenus præſentante ſyncoptico & lipothymico, venæ inciſæ, vaſcula vi disrupta, moderata vulnera ſanguinem ſtillare deſinant, quod filum igitur prehendendum, ne labyrintheis ambagibus errabundus prehendaris, ne inſolita aut prodigioſa ſanguinis ſtillicidia in defunctis exiſtimes? dicam: Phyſicorum proximior occupatio, quia circa res naturales verſatur, ita ſingulares reſpectus, cauſarum naturalium ad œconomiam vitalem applicandarum nexus qui occurrunt intacti haud ſunt relinquendi: frequentior obſervatio ejusque cum cauſis Phyſicis conciliatio prætereunda haud erit, jam vero: quot obſervationes non proſtant? quot exempla non obviant in mortuis hæmorrhagias èrumpere?

§. XXXV.

In vulgus notum eſt apoplexia ſanguinea demortuos, poſt fata cruentos apparuiſſe; obſervationibus non paucis conſtat, eosdem jam e naribus, jam ore, quin & oculis ſanguinem ploraſſe, (conf. Dn. D. PRÆSIDIS Diſp. *de Hæmorrhagiis mortuorum*) tanto manifeſtiore cauſa, quanto

certiore argumento ipſe hic affectus a repente turbato progreſſu ſanguinis per cerebrum, aut hujus infarctu nimio ortum trahere probatur. Finge jam tibi cerebrum ſanguine oppletum, largo cumulo coacervatum, ſuperveniente motu efficaciori inteſtino agitari; majorem fibrarum mollitiem, laxitatem majorem ſimul concipies, ut ſanguis, qui nunc in ultimo eruptionis puncto hæret, pleno flumine erumpat e teneris membranoſo vaſculoſis narium infundibuli oculorum & aurium locis, quibus fortis ille motus inteſtinus colliquationem provocat, ut tanto liberius effluxio contingat, ut ipſæ partes ſolidæ diffluant, cito deliqueſcant, & facta inde majori apertura pleniore quantitate pullulare ſanguis continuet.

§. XXXVI.

Quis hæſitet in cauſa naturali inſpicienda, ſi in moliminibus Hæmoptyicis, ſi calidis partim remediis pectoralibus exacerbata, partim traumaticis & adſtringentibus turbata & impedita fuerint, ſuperveniente emortuali partium rigore, ſanguis in partibus majori copia turgentibus intenſius compreſſus tandem erumpat? ex locis infarctis ſeſe effundat, eo majori flumine, quo numeroſiora vaſa ſanguifera ulcere illo eroſa ac aperta ſunt? quid rationi contrarium? ſi & in fœminis ſubitanea menſium aut lochiorum ſuppreſſione extinctis, congeſtione ſanguinis intra caput, vaſorum infarctu, rigore fibrarum, partium teneriorum dilaceratio & crepatura inducatur? ut lochia tandem per nares effluant, ſicut in vivis aliquoties obſervatum eſt. Superfluum exiſtimo, de Monialibus & virginibus fuſius verba facere; de quibus tot ſudationum cruentarum hiſtoriæ memorantur, attento earum habitum

ſi examinemus oculo, vegetis animæ & corporis viribus inſtructas, ſanguine florido oppletas, animo inquietas, impetuoſis commotionibus obnoxias reperiemus, jam ſupponamus eas in funeſtam uteri hæmorrhagiam incidere, ſub eadem ſuccumbere, aut fluxum menſium ceſſare penitus lethali fine, quid mirum? ſi profuſio uterina poſt mortem continuet, motu in ſanguine reſtitante, per apertam viam ulterius fluxu inſiſtat, aut in ſuppreſſis menſibus, ex diverſis locis eructet, tanto facilius: quod ſub tali calamitate calida uterina emmenagoga non raro propinentur, quæ ſanguinis maſſam inteſtino & univerſali progreſſivo, & particulari congeſtorio motu in ominoſam magis transferunt impetuoſitatem, quin uteri inflammatio ſæpe inſequitur, ut ſuo jam pondere ſub initiante putredinoſo inteſtino motu ex uteri partibus emortuali rigore tono deſtitutis effluat latex ſanguineus.

§. XXXVII.

Phantaſias otioſas mirasque nugas circa corporum incorruptionem, & lucidos, quibus poſt mortem aliquando cincta apparent, ſplendores aperire, cauſasque plane naturales exhibere utique libuiſſet, verum cum medicos proxime iſthæc non tangant, quorum nullum eſt cum mortuis commercium in hoc reſpectu, ipſa denique pagella plura non ſuſtineat, acquieſco, lectores benovelos rogitans, pauca hæc boni conſulant, benigno affectu & ſerena fronte ſuſpiciant, ſique ad particulares ſpecialesque caſus ubique non deſcenderim, ex allatis prompte deducendos, materia, campo volumen exigenti imputent. Numini autem ſupremo vota facimus, ut cujus in nomine ſuſpiravit initium, ejusdem in laudibus reſonet

FINIS.

certiore argumento ipſe hic affectus a repente turbato progreſſu ſanguinis per cerebrum, aut hujus infarctu nimio ortum trahere probatur. Finge jam tibi cerebrum ſanguine oppletum, largo cumulo coacervatum, ſuperveniente motu efficaciori inteſtino agitari; majorem fibrarum mollitiem, laxitatem majorem ſimul concipies, ut ſanguis, qui nunc in ultimo eruptionis puncto hæret, pleno flumine erumpat e teneris membranoſo vaſculoſis narium infundibuli oculorum & aurium locis, quibus fortis ille motus inteſtinus colliquationem provocat, ut tanto liberius effluxio contingat, ut ipſæ partes ſolidæ diffluant, cito deliqueſcant, & facta inde majori apertura pleniore quantitate pullulare ſanguis continuet.

§. XXXVI.

Quis hæſitet in cauſa naturali inſpicienda, ſi in moliminibus Hæmoptyicis, ſi calidis partim remediis pectoralibus exacerbata, partim traumaticis & adſtringentibus turbata & impedita fuerint, ſuperveniente emortuali partium rigore, ſanguis in partibus majori copia turgentibus intenſius compreſſus tandem erumpat? ex locis infarctis ſeſe effundat, eo majori flumine, quo numeroſiora vaſa ſanguifera ulcere illo eroſa ac aperta ſunt? quid rationi contrarium? ſi & in fœminis ſubitanea menſium aut lochiorum ſuppreſſione extinctis, congeſtione ſanguinis intra caput, vaſorum infarctu, rigore fibrarum, partium teneriorum dilaceratio & crepatura inducatur? ut lochia tandem per nares effluant, ſicut in vivis aliquoties obſervatum eſt. Superfluum exiſtimo, de Monialibus & virginibus fuſius verba facere; de quibus tot ſudationum cruentarum hiſtoriæ memorantur, attento earum habitum

ſi

ſi examinemus oculo, vegetis animæ & corporis viribus inſtructas, ſanguine florido oppletas, animo inquietas, impetuoſis commotionibus obnoxias reperiemus, jam ſupponamus eas in funeſtam uteri hæmorrhagiam incidere, ſub eadem ſuccumbere, aut fluxum menſium ceſſare penitus lethali fine, quid mirum? ſi profuſio uterina poſt mortem continuet, motu in ſanguine reſtitante, per apertam viam ulterius fluxu inſiſtat, aut in ſuppreſſis menſibus, ex diverſis locis eructet, tanto facilius: quod ſub tali calamitate calida uterina emmenagoga non raro propinentur, quæ ſanguinis maſſam inteſtino & univerſali progreſſivo, & particulari congeſtorio motu in ominoſam magis transferunt impetuoſitatem, quin uteri inflammatio ſæpe inſequitur, ut ſuo jam pondere ſub initiante putredinoſo inteſtino motu ex uteri partibus emortuali rigore tono deſtitutis effluat latex ſanguineus.

§. XXXVII.

Phantaſias otioſas mirasque nugas circa corporum incorruptionem, & lucidos, quibus poſt mortem aliquando cincta apparent, ſplendores aperire, cauſasque plane naturales exhibere utique libuiſſet, verum cum medicos proxime iſthæc non tangant, quorum nullum eſt cum mortuis commercium in hoc reſpectu, ipſa denique pagella plura non ſuſtineat, acquieſco, lectores benovelos rogitans, pauca hæc boni conſulant, benigno affectu & ſerena fronte ſuſpiciant, ſique ad particulares ſpecialesque caſus ubique non deſcenderim, ex allatis prompte deducendos, materia, campo volumen exigenti imputent. Numini autem ſupremo vota facimus, ut cujus in nomine ſuſpiravit initium, ejusdem in laudibus reſonet

FINIS.

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

Μακαριότητα precatur

PRÆSES.

QVam copioſus, proinde etiam fabuloſus & ſuperſtitioſus, numerus Miraculorum Medicorum in Eccleſia Catholica recenſeatur, ſatis ſuperque conſtat; ſiquidem deprædicata Sanctorum Lipſana, admirandis & fere divinis proprietatibus luſtrantia, cultu æſtimantur religioſo. Inter alia talia ſubjecta & ſchemata innotuit Aqua illa, vel quaſi Sancta, expiatoria, expurgatoria, Luſtralis, ſic dicta benedicta, de qua ſuperſtitioſi papicolæ, lepida oſtentatione, canunt, aqua benedicta, tollit omnia delicta, hujus aquæ tactus propulſat dæmonis actus, ſicut grandiloquus ille Jeſuita *Franciſcus* COSTERUS *in lib. de Sodalitate b. Mariæ Virginis p. 333. Guil.* DURANDUS *lib. 4. rational. div. offic. c. 4. p. 96 ſq.* aliique multa ſpiritualia & medica miracula de eadem temere fingunt & enarrant, quorum multis viciſſim BELLARMINUS *Lib. 1. de Sacram. in genere cap. 13. §. 6. contradicit:* quemadmodum autem Ethnici ad labrum æneum tabernaculi populi Judaici aquæ & lotionis ſacrum uſum imitatione didicerant, teſte BARONIO, ita poſtea talis mos Chriſtianis, proxime etiam, ſuperſtitioſo modo, uſu receptus fuit, referentibus CLEMENTE, TERTULLIANO, EUSEBIO, PAVLINO &c. inde ſucceſſive talia commenta excogitata & ad creduli populi ſeductionem aucta & propagata fuerant, quæ vero talia ſigna, portenta, miraculaque in noviſſimis ſunt annis, ut in errorem inducantur, ſi fieri poſſet, electi, *conf. 2 Theſſ. II, 9 ſq* hinc *Abbas Joh.* TRITENTHEMIUS *Lib. §. quæſt. ad Maximil. qu. 3.*

profes-

professus est *hodie a veris Christianis nulla miracula quærenda sunt, vel expectanda:* quare inter ipsos Pontificios quidam summo Pontifici facultatem miracula proferendi denegant & abjudicant: sicut Innocentius IV. thesauros suos Thomæ Aquinati monstrans, dixit se non posse cum Apostolo Petro testari, quod aurum & argentum non possideat; cui mox alter regessit: Sancte Pater! nec Tu reliqua verba Petrina cum effectu eloqui potes: Surge & ambula. De falsis, spuriis, æquivocis & fraudulentis Miraculis, in Medico foro obviis, TU CANDIDATE PRÆSTANTISSIME Inaugurali præsenti hoc Specimine disserere laudabili studio suscepisti; Campus enim iste perquam amplus est, in quo Morbi certis familiis proprii, per hæreditatem propagati, e malis moribus, animi affectibus, phantasia, vitiosa diæta, turbulento vitæ genere, semi virulentorum, narcoticorum & confusorum elementorum, alimentorum, potulentorum & medicamentorum usu nati, ut & imprecatione, deprecatione, sympathia, antipathia, transplantatione geniti &c. frequenter eveniunt, qui æmulantur proferuntque tale objectum, circa quod mendax & subdola talis miraculosa medicina occupari & negotiari potest: Tu vero tales crabrones merito irritasti & destruxisti. Quemadmodum enim huc usque cursum & decursum Medicum in nostro Lyceo assidua Doctissimorum Virorum institutione transegisti, indeque elegantem Scientiarum salutarium thesaurum Tibi comparasti, præterea antehac modo egregiorum studiorum cimelio ornatus nobis innotuisti, porro etiam proba, modesta, sobria, honesta, integra & inculpabili ratione vitæ & socialitatis Tuæ singulis Te commendasti, ut dignus æstimatus fueris, quo in Facultate Medica, consensu benevolo, imo benefico, Ordinis nostri Inclyti, Honoribus & Immunitatibus solennibus

Academicis exorneris, de quo igitur bonis Te proſequor ominibus, ſpe illa favente & ſincera ſuffultus, nunquam gratæ Tuæ recordationi exciſurum, quibus favoris, amoris, benevolentiæ & Patrocinii amplexibus, quippe peregrinus & antehac ignotus apud nos fueris exceptus. Faxit porro cœleſtis benedictio, ut in reliquum tempus omnia Tibi ſalutariter & feliciter eveniant. Dab. VII. Iduum Aprilis Ann. MDCCLIII.

PHœbi chara proles! ſic ſcandis culmina laudis?
chara proles ſortis lauri vinciris honore:
ſic ſcandis lauri montes, ſic perge per alta
culmina, vinciris, ſic perge per alta triumphus,
laudis honore per alta triumphus in orbe refulget.

VIVE DIV VegetVs fLoreſCens tVtVs honore:
hIC heCk hoC Voto eſt: Cæpta ſeCVnDa fLVant.

In perpetuæ amicitiæ & fidei non morituræ monumentum hæc Dn. Doctorando ad poſuit amicus integerrimus

Chriſtian Gottlieb Ucke,
Livon. Oppon.

TE vois je Aurore brillante meſſagere
Du jour? qui couronne les travaux
D'un Ami, dont le coeur tendre & ſincere
Me rend ce Séjour court & beau.
Aimable Ami? qui avec moi naquites
Dans le Sein de la même Patrie;
Cueillés les fruits de vôtre conduite,
Et mepriſés la foible envie,

Ce

Ce monſtre hideux terraſſé par votre gloire
Mugiſſant rempe ſous vos pieds,
Un gouffre lénglouti, & la victoire
Vous Couronne de ſes lauriers.
Que chaque inſtant augmente ma tendreſſe
Fuyés ſoucis & cedés à l'amour.
Ami ſouvenés vous de moi ſans ceſſe.
Vivés heureux, & cheriſſés toujours.

Votre très fidele & très obeiſſant
ami & ſerviteur

Pfeffel,

Etud. en droit de Colmar en Alſace.

DUlcis Amice! Tibi cuſtos Tutorque ſalutis
Præmia dat Phæbus digna labore Tuo;
Hac lege, ut cunctis ſemper prō parte virili
Inſervire velis, omne levando malum.
Hoc facies promtus, nam Te natura Galeno
Compoſuit ſimilem dexteritate ſibi.
Gratulor ex animo tantos Tibi lætus honores,
Dignum Doctorem pulpita docta creant,
Adprecor annoſæ maneant te gaudia laudis,
Te medico mortis vis cadat atque furor.
Dii Tibi ſubveniant ægrotis pocula danti,
Conſiliumque Tuum dirigat ipſe Deus.
Vive diu felix, ſuperando Neſtoris annos
Denique care Tuo ſemper, amice fave.

Hisce clariſſimo Dn. Doctorando amico
ſuo æſtumatiſſimo fidem teſtatur
amicus intimus

Juſtus Franc. Lindener,
Hallens. Medic. Candid.

Non

Academicis exorneris, de quo igitur bonis Te prosequor ominibus, spe illa favente & sincera suffultus, nunquam gratæ Tuæ recordationi excisurum, quibus favoris, amoris, benevolentiæ & Patrocinii amplexibus, quippe peregrinus & antehac ignotus apud nos fueris exceptus. Faxit porro cœlestis benedictio, ut in reliquum tempus omnia Tibi salutariter & feliciter eveniant. Dab. VII. Iduum Aprilis Ann. MDCCLIII.

PHœbi chara proles! sic scandis culmina laudis?
chara proles sortis lauri vinciris honore:
sic scandis lauri montes, sic perge per alta
culmina, vinciris, sic perge per alta triumphus,
laudis honore per alta triumphus in orbe refulget.

VIVE DIV VegetVs fLoreſCens tVtVs honore:
hIC heCk hoC Voto est: Cæpta seCVnDa fLVant.

In perpetuæ amicitiæ & fidei non morituræ monumentum hæc Dn. Doctorando ad posuit amicus integerrimus

Christian Gottlieb Ucke,
Livon. Oppon.

TE vois je Aurore brillante messagere
Du jour? qui couronne les travaux
D'un Ami, dont le coeur tendre & sincere
Me rend ce Séjour court & beau.
Aimable Ami? qui avec moi naquites
Dans le Sein de la même Patrie;
Cueillés les fruits de vôtre conduite,
Et mepriſés la foible envie,

Ce

Ce monſtre hideux terraſſé par votre gloire
Mugiſſant rempe ſous vos pieds,
Un gouffre lénglouti, & la victoire
Vous Couronne de ſes lauriers.
Que chaque inſtant augmente ma tendreſſe
Fuyés ſoucis & cedés à l'amour.
Ami ſouvenés vous de moi ſans ceſſe.
Vivés heureux, & cheriſſés toujours.

Votre très fidele & très obeiſſant
ami & ſerviteur

Pfeffel,

Etud. en droit de Colmar en Alſace.

DUlcis Amice! Tibi cuſtos Tutorque ſalutis
Præmia dat Phæbus digna labore Tuo;
Hac lege, ut cunctis ſemper prō parte virili
Inſervire velis, omne levando malum.
Hoc facies promtus, nam Te natura Galeno
Compoſuit ſimilem dexteritate ſibi.
Gratulor ex animo tantos Tibi lætus honores,
Dignum Doctorem pulpita docta creant,
Adprecor annoſæ maneant te gaudia laudis,
Te medico mortis vis cadat atque furor.
Dii Tibi ſubveniant ægrotis pocula danti,
Conſiliumque Tuum dirigat ipſe Deus.
Vive diu felix, ſuperando Neſtoris annos
Denique care Tuo ſemper, amice fave.

Hisce clariſſimo Dn. Doctorando amico
ſuo æſtumatiſſimo fidem teſtatur
amicus intimus

Juſtus Franc. Lindener,

Hallens. Medic. Candid.

Non

NOn niſi per magnos ad præmia magna labores
Itur, at ignavis nulla corona datur
Dum claro aggrederis doctoque labore mereris
Motus ab exemplo nobiliore decus
Et primum ſacram conſcendis Amice cathedram
Gratulor ingenium non latuiſſe tuum
Perge ſequi porro laudes, & parta tueri
Ipſa Tibi veniens gloria major erit.

His paucis Doctiſſimo Domino Doctorando amico ſuaviſſimo dum doctorales capeſſeret honores, obvenire, & fidæ amicitiæ teſſeram erigere voluit

Johann. Frideric. Lieberoth,
S.S. Th. Cult. Eglenſis Magdeburg.



NOn niſi per magnos ad præmia magna labores
Itur, at ignavis nulla corona datur
Dum claro aggrederis doctoque labore mereris
Motus ab exemplo nobiliore decus
Et primum ſacram conſcendis Amice cathedram
Gratulor ingenium non latuiſſe tuum
Perge ſequi porro laudes, & parta tueri
Ipſa Tibi veniens gloria major erit.

His paucis Doctiſſimo Domino Doctorando amico ſuaviſſimo dum doctorales capeſſeret honores, obvenire, & fidæ amicitiæ teſſeram erigere voluit

Johann. Frideric. Lieberoth,
S.S.Th. Cult. Eglenſis Magdeburg.